

89. *Dum privilegia sæpius confirmantur, et in una Bulla confirmatoria quædam omittuntur, quæ in alia ponuntur, non censentur esse revocata, quæ fuerint omissa.* — Interea circa confirmationes privilegiorum notandum, quod, si in una confirmatoria Bulla minus quam in alia ponatur, et aliqua privilegia aut favores in una Bulla omittantur, et expresse non confirmantur, per hoc illa omissa non censeantur revocata, sed relinquuntur in suo vigore, quem hic et nunc habent, consequenter plene valeant, si a posteriore constitutione aliqua revocata non sunt, aut canonibus et decretis concilii Tridentini non adversantur; quia per Bullas confirmatorias nec intendit, nec solet Papa aliqua privilegia revocare, nisi id exprimat, uti factentur omnes.

90. *Doctrina practica ad propositum.* — Hinc colliges privilegia et favores in Bulla Gregorii XIII n. 83, allegata expresse positos, et in Bulla Clementis VIII, vel Pauli V, n. 84 et 85, per extensum adductis omissos, aut in his Bullis positos, et in his omissos plene valere, nisi revocatio posterior, vel clausula aliqua revocatoria obstet.

91. *Etiam aliorum ordinum privilegia specialiter, sunt confirmata: referuntur aliquæ confirmationes.* — Præter speciales Bullas confirmatorias privilegiorum ordinis nostri, etiam aliarum religionum privilegia specialiter existunt confirmata: sic enim inter alios Clemens VIII amplissime confirmavit privilegia PP. Dominicanorum per Bullam, quæ incipit, *Injuncti nobis*, etc. et habetur per extensum apud Donatum p. 1, tr. 41, q. 8.

Privilegia ordinis B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum confirmavit Urbanus VIII, per Bullam In supremo, quam habes tom. V. Bullarii Cherubin.

Cisterciensium privilegia confirmavit Innocentius X, per Bullam *Exponi nobis*, quæ habetur cit., tom. V. *Constitut.* 54, et sic de aliis ordinibus præsertim mendicantibus, qui favoribus invicem gaudent, si qui uni ex illis, vel aliis ordinibus per confirmationes ex certa scientia conferuntur, intellige, dummodo ordo participare volens habeat indultum communicandi cum aliorum ordinum privilegiis non tantum concessis, sed etiam concedendis in futurum, uti habet ordo noster, et hodie omnes mendicantes teste Donato, p. 1, tr. 41, q. 9.

§ V.

DE EXTENSIONE, ET INTERPRETATIONE PRIVILEGIORUM.

92. *Extensio et interpretatio privilegiorum est duplex.* — Quæritur I. Quid et quotuplex sit ad propositum extensio, et interpretatio privilegiorum? Resp. cum Laymano in c. *Translato de Constitut.* n. 4, et aliis communiter, quod extensio duplex sit, una proprie dicta, seu comprehensiva. Sive, ut loquitur Fagnanus in c. *Quod nonnullis de privilegiis* n. 16 et 28. Duplex est interpretatio una per extensionem, seu extensivam, alia per comprehensionem, seu comprehensivam.

93. *Alia extensio dicitur extensiva, seu interpretatio per extensionem.* — Extensio extensiva, seu interpretatio per extensionem est, quando legis alicujus decisio transfertur ad alium casum, vel personas, non tantum ultra verba legis, sed etiam præter mentem legislatoris, quamvis non contra mentem ejus. Et talis interpretatio per extensionem in legibus, ob adæquatæ rationis similitudinem, tam intra quam extra judicium, recte fieri potest, ac debet; quia de similibus idem est judicium, c. *Cum Corporalia de Translat. episcopi*, et amplius declaravimus Lib. I, tit. II, de *Constitut.* § 15, a n. 370. Exemplum pulchrum hujus extensionis proprie dictæ habetur c. *Cum dilecta, § Nos igitur de confirmat. utili.* ubi Papam constitutionem Juris civilis, ut testes etiam ante litis contestationem excipiantur, si de morte eorum timeatur, ne veritas occultetur, et probandi facultas subtrahatur, ad instrumenta privilegiorum extendit, et ea ob paritatem rationis, si de ipsorum corruptione timeatur, etiam lite non contestata censet esse renovanda.

94. *Alia comprehensiva, seu interpretatio per comprehensionem.* — Extensio comprehensiva, seu interpretatio legis per comprehensionem, et declarationem fit, si decisio legis transfertur ad alium casum, vel personam non comprehensam sub verbis, comprehensam tamen in mente legislatoris: Si quidem interpretatio legum potius mentis legislatoris, quam verbis convenire debet, arg. c. *Humanæ aures* 22, q. 5, et alibi, atque amplius declaravimus cit. lib. II, tit. XV, § 16, a n. 386. Unde hanc non esse proprie extensionem recte monet citatus Laymanus,

§ V. DE EXTENSIONE, ET INTERPRETATIONE PRIVILEGIORUM.

eamque Fagnanus melius appellat comprehensionem seu declarationem.

95. *Rursus alia interpretatio est auctoritativa, seu definitiva, alia doctrinalis.* — Rursus alia interpretatio est auctoritativa, seu potestativa, seu definitiva, ac judicialis, utpote cui in et extra judicium fides adhiberi potest, et debet. Alia doctrinalis, seu magisterialis, estque illa, qua per privatos doctores, vel magistros obscura verba privilegii, et mens concedentis privilegium declaratur.

96. *Auctoritativa a solo auctore privilegii, doctrinalis vero a privatis doctoribus fieri potest. Superiores regulares docti doctrinaliter interpretari valent sua privilegia, quod eis subditi stare queant.* — Quæritur II. A quo fieri possit interpretatio privilegiorum? Resp. Quamvis authentica privilegiorum interpretatio superveniente dubio spectet ad principem, vel eum, qui concessit privilegium, prout omnes fatentur, arg. c. *Inter alia de Sentent. excomm. c. Cum venissent de Judic. juncta l. fin. C. de Legib.*, tamen etiam juxta unanimem interpretatio doctrinalis potest fieri a theologis, aliisque juris doctis, ut amplius diximus lib. I, tit. II, a n. 463. Præsertim autem privilegia regularium possunt doctrinaliter interpretari a prelati religiosorum, quorum interpretationi possunt subditi tuta conscientia acquiescere, ut inter alios notat Herincx quæst. 7. de *Legib.*, n. 87, ubi tamen notandum, prelatos, ut doctrinaliter interpretentur privilegium, debere esse sufficienter doctos, aut doctores pro consilio ad interpretandum adhibere.

97. *Ubi verba sunt clara, nulla admittitur interpretatio.* — Porro circa interpretationem generaliter observandum, quando verba privilegii sunt clara certamque habent significationem, nullam tunc adhibendam esse interpretationem, sed observandum fore tenorem privilegii, arg. c. *Recepimus* h. t. ibi: inspicenda sunt ergo privilegia, et ipsorum tenor est diligentius attendendus. Concordat c. *Porro* h. t. ibi: Quod totum ex inspectione privilegiorum suorum plenius advertere potes, et secundum quod inveneris, ita observes. Omitto similia.

98. *Privilegium non extenditur de persona ad personam.* — Quæritur III. An privilegium uni concessum possit extendi ad alterum? Resp. cum Fagnano in c. *Quia nonnulli de privileg.* n. 2 et 25. Privilegia non extendi in personam etiam ex identitate vel

majoritate rationis. Patet id ex c. *Sane* h. t. ibi: « Temerarium est, et indignum, aliquem sibi sua auctoritate præsumere, quod Romana Ecclesia alicui certa ratione inspecta singularibus voluit beneficiis indulgere. » Concordat Reg. juris. 74 in 6, ibi: « Quod alicui gratiose conceditur, trahi non debet aliis in exemplum, » cum suis Concordantiis. Accedit ratio, quia vis et efficacia privilegii non consistit in ratione, sed in voluntate principis eximentis quempiam a communi lege: unde privilegium dicitur lex privata, et jus singulare per textus n. 3 et seqq. relatos.

99. *Nisi ex subjecta materia, vel tenore privilegii aliud desumatur.* — Nec obstat c. ult. h. t. ubi dicitur, quod uni conceditur, aliis negari non debet. Resp. enim cum Glossa ibid. ¶ quod uni personæ, id verum esse, si de jure communi quidpiam concessum est, prout ibidem est casus de muliere fluxum sanguinis patiente, et Christi vestimentum tangente: secus autem esse, si quid cuiuspiam competat ex privilegio personali.

100. *Vel alias privilegium esset inutile.* — Intellige tamen 1, datam responsionem; per se loquendo, et nisi ex subjecta materia, vel tenere privilegii, sive ex usu, aut alia juris dispositione ejusmodi extensio intelligatur, prout de se patet, et notat Pirhing h. t., n. 21.

101. *Vel communicatio non privilegiati cum privilegiato aliud requirat.* — Intellige 2, nisi privilegium alioquin foret inutile privilegiato: privilegium enim semper deo. aliquid conferre, atque ita interpretari, ut non sit inutilis, frustranea, ac defectuosa indulgentia principis, arg. c. *In his de privileg.* juncta Glossa ibid. ¶ *Ex indulgentia.* Hinc licet in materia dividua socius non gaudeat privilegio socii, arg. c. *Quidam* 32, h. t. nihilominus in materia individua generaliter privilegium uni ex sociis concessum trahitur ad omnes ut docet, ac pluribus exemplificat Fagnanus c. *Cum propter de Jurepat.* n. 41 et 57, ne videlicet privilegium alioquin redderetur inutile; sic enim causa individua plurimum laicorum, et unius clerici debet agitari coram iudice ecclesiastico.

102. *Vel fiat interpretatio comprehensiva, seu declaratio privilegii meram gratiam continentis.* — Quin imo etiam propter communionem non privilegiatus sortitur naturam privilegiati, arg. l. *Si communem. Quenadmodum servit. amitt.* et tradit Glossa fin. in

c. un. *de Jurepatronat.* in 6, ac Fagnanus loc. cit. n. 27, id pulchre exemplificans de jurepatronatus mixti: nam cum patronus laicus habeat ad præsentandum duntaxat quadrimestre, et patronus ecclesiasticus semestre, si mixtus sit patronatus, uterque patronus habebit semestre: unde in mixtis prævalet qualitas magis favens, et per quam jus alterius non læditur ex communione.

Intellige 3, datam n. 98, responsionem de extensione extensiva, et proprie dicta, sive (ut alii loquuntur) de interpretatione per extensionem. Siquidem si privilegium sit favorabile, ac merum beneficium principis, fit lata interpretatio, quantum patitur verborum proprietas; ita ut habeat locum in omnibus, qui sub ampliori verborum significatione continentur, et in quibus eadem ratio concurrat; idque non per extensionem, sed per comprehensionem et declarationem, ut post Baldum aliosque notat Fagnanus in c. *Quod nonnullis de privilegiis* n. 28. Sed occasione præmissorum mox.

103. *Utrum stricte, vel late interpretari possint, vel debeant privilegia? Remissive.* — Quæritur IV. Qualiter facienda sit interpretatio privilegiorum? stricte nempe, vel late? Resp. Ad hoc quæsitum patere ex lib. I, tit. III, *de Rescriptis*. § 5, a n. 130, item ex eodem tit. III, § 7, per totum, ubi vide, ne fiat superflua repetitio.

104. *In privilegiorum interpretatione servanda est proprietas verborum.* — Quæritur V. Quomodo in interpretatione privilegiorum sit servanda proprietas verborum? Ante responsionem suppono cum communi, quod interpretatio privilegiorum semper fieri debeat in propria verborum significatione, nisi major omnino sit necessaria, ut privilegium non sit inutile, sed aliquid operetur. Ratio hujus est, quia alioquin nihil omnino certi haberetur, si verba pro libitu ad improprias significationes extendere liceret. Hoc prænotato.

105. *Juxta usitam significationem, vel usum communem, ac secundum jus privilegi proportionatum.* — Resp. I. Proprietas verborum, secundum quam interpretanda sunt privilegia, desumenda est ex usitata significatione, vel usu communi, ac secundum jus privilegio proportionatum: ita videlicet, ut si sit privilegium Papæ, secundum jus canonicum; si vero privilegium principis sæcularis, secundum jus civile fiat interpretatio. Ita cum aliis Pirhing h. t. n. 25. Et confor-

miter dictis intelligi debet commune illud dictum doctorum, fundatum in textibus juris n. 97, relatis: privilegia non plus operantur, quam verbis exprimant: videlicet late vel stricte acceptis, juxta quod privilegium vel est favorabile, vel odiosum; et servata propria verborum significatione communi, vel saltem juridica, nisi specialis necessitas cogat verba impropriare.

106. *Privilegium mere favorabile salva proprietate verborum extendendum, odiosum vero restringendum est.* — Resp. II. Privilegium mere favorabile extendendum est, quantum fieri potest, salva verborum proprietate, juxta materiam subjectam, et usum juridicum: privilegium vero odiosum est restringendum, ut quam minimum operetur, salva tamen verborum proprietate, ita videlicet, quod quidem non careat omni effectu, sed habeat præcise necessarium: prout amplius dictum cit. lib. I, tit. III, *de Rescriptis*, a n. 30, item tit. II, § 17, per totum.

107. *In modernis confirmationibus solent pontifices apponere, quatenus sunt in usu.* — Quæritur VI. Qualiter intelligenda sit clausula confirmatorii privilegiorum Bullis apponi solita, dummodo sint in usu, seu quatenus sint in usu? Ante responsionem notandum, quod, quamvis plures Pontifices confirmarint regularium privilegia, tamen jam a longo tempore, præsertim vero a tempore Gregorii VIII, soleant apponere clausulas, « quatenus, vel dummodo sint in usu: » Item « Dummodo sacris canonibus, et decretis concilii Tridentini non adversentur: » Item « Dummodo non sint revocata, » ut patet ex confirmatorii Bullis Gregorii XIII, Pauli V, Clementis VIII, et Innocentii XI, supra allegatis. Hinc omnino præstat scire, quid importent, et quomodo intelligendæ sint hæ clausulæ; quarum proin primam in hoc quæsito, reliquis in subsequentibus examinabimus. Itaque

108. *Quomodo intelligenda sit hæc clausula? Quatenus sunt in usu.* — Resp. I. Clausula, Quatenus sunt, vel Dummodo sint in usu, id importat, et insinuat, quod Papa, vel alius princeps privilegia, quæ per non usum, vel usum contrarium jam cessarunt, aut amissa fuere, consequenter non amplius sunt in usu, nolit de novo confirmare, seu confirmando de novo revalidare. Roderiquez, tom. I, p. 4, tr. XIII. Laurent. de Peyrin., in *Declarat. privileg. ordin. Minim.*, tom. II. *Super Constitut. I, Gregorii XIII,*

n. 1, et alii. Ratio est, quia clausula hæc debet aliquid significare, et operari, cum alias frustra membranam occuparet; non apparet autem quid aliud significare aut importare deberet; ergo.

109. *Quæ privilegia, et quando censeantur per non usum, vel usum contrarium cessare, vel amitti? Remissive.* — Quænam autem privilegia, et quando per non usum, vel usum contrarium censeantur esse amissa, et cessare, habetur infra § 10, a n. 203, ubi n. 205 et seqq. asseritur, et probatur, quod privilegia, quæ sine aliorum gravamine concessam meram gratiam continent, per non usum, vel usum contrarium neququam amittantur, uti etiam enarrantur quædam necessario requisita ad hoc, ut privilegia in aliorum præjudicium concessa per non usum, vel usum contrarium cessasse, vel amissa dicantur. Videlicet I. Quod fuerit occasio utendi privilegio. II. Quod talis occasio scienter fuerit omissa, seu quod quis sciverit se habere privilegium agendi, vel omittendi hoc, vel aliud, et tamen neglexerit. III. Quod voluntarie, seu libere, non vero per violentiam, infirmitatem, aut absentiam impeditus omiserit uti privilegio. IV. Quod debito tempore fuerit voluntarius non usus, vel usus contrarius privilegii. V. Quod non usus, vel usus contrarius privilegii proveniret ab iis, qui renuntiare possunt privilegio, prout amplius loc. cit., ubi vide.

110. *Clausula Quatenus sunt in usu, vel dummodo sunt in usu, fere nunquam obest privilegii regularium.* — Interea hic colliges, quod clausula, Dummodo sint in usu, vel quatenus sunt in usu, fere nunquam in aliquo obsistat privilegii regularium; tum quia pleraque eorum privilegia sunt meræ gratiæ sine aliorum gravamine concessæ, v. g. privilegium absolvendi, dispensandi, suscipiendi extra tempora, vel non servatis interstitiis ordines, celebrandi in altari portatili, benedicendi, etc., quæ et alia privilegia in meris gratiis consistentia cum per non usum, vel usum contrarium neququam cessent, vel omittantur, præfata clausula Bullæ confirmatoriæ inserta eis nihil obest, consequenter circa hujusmodi privilegia non est attendenda. Tum quia regularium privilegia etiam cum gravamine aliorum concessa non uni personæ, sed toti religioni, vel certo generi personarum, v. g. superiorum illius, lectorum, etc., conceduntur, consequenter

etsi data occasione unus vel alter privilegio libere non utatur, vel actum contrarium exerceat, privilegio communitatis minime præjudicat.

111. *Limitatur in uno vel altero casu.* — Secus foret, si privilegium odiosum uni soli personæ regulari, vel certo alicui monasterio in specie cum gravamine alterius esset concessum; tunc enim per non usum, vel usum contrarium, concurrentibus requisitis amitti potest.

112. *Clausula Quatenus sunt in usu non præjudicat regularium privilegii dispensando pro foro interno super impedimento affinitatis ex delicto occulto.* — Colliges ulterius: quod ex non usu impugnari nequeat privilegium dispensandi super impedimento affinitatis etiam in primo gradu, juxta dicta lib. IV, in *Appendice*, § 11, a n. 542.

113. *In clausula, Dummodo sacris canonibus et decretis concilii Tridentini non adversentur, per illa verba dummodo sacris canonibus non intelliguntur canones corpori juris communi inserti.* — Quæritur VII. Quomodo intelligenda sit, et quid operetur clausula? Dummodo sacris canonibus, et decretis concilii Tridentini non adversentur. Resp. I. Per hujus clausulæ verba sacris canonibus non intelligi sacros canones in Corpore Juris communis clausos, seu contentos, sed intelligi canones concilii, ita ut sensus sit, Dummodo sacris canonibus concilii Tridentini, et decretis concilii Tridentini non adversentur. Barbosa, *de Clausulis Claus. 124*, n. 2. Roderiquez, tom. I, qq. *Regul.* q. 8, art. 9. Donatus, tom. I, tr. XI, q. 14. Miranda, tom. II, q. 52, art. in *Respons.* cum communi et certa aliorum. Ratio est, quia, si per citata verba sacris canonibus intelligerentur canones, et decreta corpori Juris communis inserta, nulla, et otiosa, sibi que contradictoria esset omnis confirmatio privilegiorum, eo quod juxta dicta supra n. 8, omnia regularium privilegia proprie dicta adversentur juri communi; quæ proin privilegia confirmarent, et non confirmarent suis Bullis Pontifices, sicque sibi contradicerent. Quare Barbosa, loc. cit. clausula 51, num. 3, post Sorb. loc. cit. bene advertit, neminem sanæ mentis non videre, quam absurdum et a mente Pontificum confirmantium privilegia regularium alienum sit, dicere per hujus clausulæ verba sacris canonibus intelligi canones Corpori Juris insertos.

114. *Confirmatur consuetudine.* — Confirmatur: Consuetudo est optima legum interpretis, l. 37, ff. *de Legib.*, atqui consuetudine et praxi totius orbis Christiani habetur, quod regulares valide et licite practicent sua privilegia sacris canonibus Corpori Juris communis expresse adscriptis, dummodo concilii Tridentini sacris canonibus, et decretis in sensu infra ponendo non adversentur.

115. *Confirmatur ratione.* — Cur autem Pontifices in suis Bullis confirmatoriis adhibeant verba sacris canonibus, decretis. Ratio est, tum quia concilium Tridentinum constat canonibus et decretis: tum quia etiam ipsa decreta, et canones subinde vocat, uti patet ex sess. 14, *de Reformat.* in fine Procemii, ubi subsequenter decreta de Reformatione canones vocat illis verbis: « Sacrosancta synodus, hos qui sequuntur canones statuendos et decernendos duxit. »

116. *Per clausulam:* Dummodo decretis concilii Tridentini non adversentur, a confirmatione eximuntur illa duntaxat privilegia quæ a concilio Tridentino expresse sunt revocata. — Resp. II. Plures, iique classici doctores infra § seq. num. 139, citandi probabilissime; et solide defendunt, quod per præfatæ clausulæ verba illa: « Dummodo decretis concilii Tridentini non adversentur, » non intendant Pontifices eximere omnia et singula regularium privilegia, quæ concilio Tridentino, vel decretis illius qualitercunque adversantur, sed illa duntaxat, quæ a concilio expresse fuere revocata, qualia sunt omnia, quæ contraria sunt decretis sess. 25, *de Regularibus*, sicut et illa, quæ adversantur præcedentium sessionum decretis positis cum clausula non obstantibus privilegiis, vel simili; uti magis dicitur infra § seq. a n. 139. Ratio conclusionis est, quia hoc ipso, quod concilium Tridentinum aliqua decreta fecerit cum clausula non obstantibus privilegiis, seu alia simili clausula privilegiorum derogatoria, seu revocatoria; alia vero sine hujusmodi clausula, merito colligere licet, præfatam concilium Tridentinum quoad hæc decreta nullam clausulam privilegiorum revocatoriam, seu derogatoriam habentia non intendisse privilegia eis contraria revocare, sed potius intendisse ea relinquere in suo valore; alias frustra et superflue in aliquibus decretis apposuisset derogatoriam clausulam; atqui si intendit quoad memorata decreta, privilegia relinquere in suo valore, privilegia decretis

hujusmodi proprie non adversantur, uti consideranti patet; ergo.

117. *Confirmatur per argumenta. Remissive.* — Confirmatur ex Bulla Gregorii XIII, *Pium et utile*, et Bulla Pii V, *Etsi mendicantium*, per argumenta lib. I, tit. XI, n. 49 et 50 allegata: ex quibus colligitur quoque, quod Bulla Gregorii XIII, *Pium et utile*, nostris privilegiis etiam ideo non obsit quia idem Pontifex per aliam subsequentem constitutionem de novo concessit omnia et singula nostra privilegia olim concessa, non obstante sua, et aliorum prædecessorum revocatoria, uti patet ex Bulla n. 83, allegata, quæ aliquot annis post Bullam *In tanta*, emanavit, cum hæc jam 1573, illa vero anno 1575 fuerit edita.

118. *Confirmatur conclusio ulterius per doctrinam § seq. qua ostenditur concilium Tridentinum non revocasse omnia privilegia alicui ex suis decretis qualitercunque contraria, sed illa duntaxat, quæ in præcedenti conclusione allegavimus.*

119. *Quomodo intelligenda clausula? Dummodo non sint revocata.* — Quæritur VIII. Quomodo intelligenda sit, et quid importet clausula, Quatenus, et dummodo non sint revocata, vel sub aliqua revocatione comprehensa? Resp. Hanc clausulam id importare, et significare, quod Papa nolit confirmare privilegia, quæ per legem, constitutionem, vel decretum generale, aut speciale expresse, vel tacite fuere revocata, et de novo non amplius concessa, vel confirmata. Ita communis. Dicitur autem notanter, et de novo non amplius concessa, vel confirmata. Ratio est, quia etsi privilegia aliqua expresse, vel tacite per legem, aut decretum revocentur, tamen si de novo iterum conceduntur, præsertim cum clausula prioris revocationis derogatoria, a clausula, Dummodo non sint revocata, non afficiuntur, sed ea non obstante vere confirmari censentur. Ratio patet, quia cum talis nova concessio novam importet gratiam, novumque privilegium, consequenter a priori revocatione tale novum privilegium non afficiatur, ac postea, uti supponitur, necdum revocatum habeatur, nullatenus revocatum censetur, sicque sub clausula: Dummodo non sint revocata, minime comprehenditur, sed ea non obstante omnino confirmatur. Hinc ad ultimam revocationem, vel concessionem attendendum, et juxta illam dicta clausula intelligenda est.

DE REVOCATIONE PRIVILEGIORUM UT SIC, ET IN SPECIE DE ILLA, QUÆ FACTA EST A CONCILIO TRIDENTINO.

120. *Privilegium mere gratiosum subdito concessum potest a concedente, vel ejus successore iterum revocari ex justa causa. Solvitur instantia de donatione, a qua privilegium differt.* — Quæritur I. An quodlibet privilegium semel concessum possit denuo revocari a concedente, vel ejus successore? Resp. I. Privilegium mere gratiosum, sive omnino gratis a principe concessum subdito contra vel præter jus commune, potest a concedente, vel ejus successore revocari: valide quidem etiam absque alia causa, quamvis non licite, nisi justa causa interveniat. Felinus, in c. *Novit*, 13, *de Judic. numer.* 8. Sylvester, §. *Privilegium*, num. 10, dict. 7. Suarez, lib. VIII, *de Legib.*, cap. xxxvii, num. 2. Sanchez, *de Matrim.*, disp. 33, num. 5. Pirhing, h. t., num. 187, cum communi. Siquidem hæc est ordinaria natura privilegiorum maxime gratiosorum, ut sub tacita revocationis conditione dari soleant, juxta dicta n. 17, atque desumitur ex c. *Decret. de Regul. jur.* in 6, ibi: « Decet concessum a principe esse mansurum. » Nam ibidem ly decet, quantum ad principem ponitur proprie, ita ut decentiam importet, non necessitatem.

Nec obstat, quod donatio inter vivos semel perfecta et acceptata non amplius revocari possit, nisi ob gratitudinem donatarii, arg. cap. ult. *de Donation.*, cum Concordantiis, prout amplius dictum lib. III, tit. 24, *de Donation.* Resp. enim, esse disparitatem inter privilegium et donationem: nam vi donationis perfectæ et acceptatæ mox transit dominium rei donatæ in donatarium, e contra vero jus, quod cuiquam conceditur vi privilegii omnino gratis a principe concessi, seu mere gratiosi, non transit in dominium privilegiati, sed semper pendet a mera voluntate principis privilegium concedentis; ideoque ab illo revocari potest (non minus, ac lex a se, vel suo antecessore lata) valide quidem etiam sine causa, quamvis non licite ac decenter, adeoque non sine culpa saltem veniali. Pirhing, et doctores citati.

121. *Privilegium etiam mere gratiosum non subdito concessum revocari amplius nequit. Privilegia ab imperatoribus concessa Ecclesiis ne-*

queunt amplius revocari. — Dixi in conclusione notanter 1, privilegium subdito concessum. Nam privilegium concessum non subdito non potest revocari amplius per ipsum concedentem: quia postquam fuit acceptatum, transit in pactum, seu contractum, quo proprio dictum jus acquiritur privilegiato, quod non subdito auferri nequit, ut post Laymanum cit., cap. xxiii, num. 24, argumentatur Pirhing, h. t., num. 186. Sive, quia tale privilegium habet vim suam mox, cum pervenerit in notitiam privilegiati, arg. c. 1, § *Ex parte, De concession. præbend.* in 6. Et sic non potest amplius revocari, cum sit ei jus quæsitum, et concedens non sit dominus, seu superior, prout tenet et argumentatur Abbas in c. *Novit*, ille de judic., n. 23, postarchidiaconum, et Joan. Andream. Idem tenet Glossa in c. *Decet, de Reg. jur.* in 6, id exemplificans de privilegiis, quæ principes, et imperatores sæculares concesserunt Ecclesiis: quia (inquit) tale privilegium concessum non subdito est contractus ab initio voluntarius, sed ex post facto est necessitas. Ita loquitur Glossa. Excipit tamen Pirhing, h. t., n. 186, cum Felino, et Suarezio casum, quo privilegium postea vergeret in notabile damnum principis concedentis; quia tunc privilegium potest revocari; nam conditio hæc ex natura rei intelligitur inclusa in prima privilegii concessione.

122. *Nec privilegia remuneratoria, vel per modum pacti, vel contractus etiam subdito concessa.* — Dixi notanter 2, privilegium mere gratiosum, sive omnino gratis concessum. Siquidem privilegia etiam subditis data in præmium, seu remunerationem meritorum, aut præstitorum obsequiorum, item privilegia concessa per pactum, seu contractum onerosum (ut si princeps pretio accepto privilegium concedat), vel etiam facta per contractum lucrativum, v. g. per donationem absolutam cum translatione domini alicujus rei, vel juris (ut cum datur, seu donatur alicui castrum, vel jus alicujus vectigalis seu tributum) non amplius possunt revocari, neque subdito invito auferri, nisi ex gravi causa spectante ad bonum commune. Ita Pirh., h. t., n. 187. Engel, n. 22, ac alii passim. Ratio est, quia princeps tenetur servare pacta cum subditis inita: et quod datur in remunerationem præstitorum laborum, non censetur gratis datum, sed vim pacti habet; saltem si merita aliunde non erant debita, sed liberaliter exhibita, et talia, ut princeps